


5+6/99

IDIBVS DECEMBRIBVS

MCMXCIX



RVMOR VARIVS



TOMVS 22

FASC. 131

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSI, in aedibus, quibus nomen **aeschlimann** publicity est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	27.--
In ceteris Europae terris	sFr.	32.--
In terris trans maria sitis	US\$	30.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:  
Udalricus Aeschlimann lic.phil.  
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Christina Meier-Portner

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam  
RVMOR VARIVS ,c/o **aeschlimann** publicity  
Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg  
INTERNET:  
e-Mail: 113376.1317@compuserve.com  
Homepage:  
[http://www.friends.bbb.ch/macdiga/rumor\\_varius](http://www.friends.bbb.ch/macdiga/rumor_varius)

Institutum pecuniarium:  
UBS, Zürich-Oerlikon  
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei **aeschlimann** publicity herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	27.--
Europa	sFr.	32.--
Übersee	US\$	30.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:  
Ulrich Aeschlimann lic.phil.  
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martin Meier  
Daniel Weissmann

Grafik und Layout: Christine Meier-Portner

Druck: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:


RVMOR VARIVS ,c/o **aeschlimann** publicity  
Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg  
INTERNET:  
e-Mail: 113376.1317@compuserve.com  
Homepage:  
[http://www.friends.bbb.ch/macdiga/rumor\\_varius](http://www.friends.bbb.ch/macdiga/rumor_varius)

Institutum pecuniarium:  
UBS, Zürich-Oerlikon  
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0

# PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Hoc anno ad argumentum a nobis propositum 'De alienis terris et gentibus' non tot symbolae missae sunt, quot ad themata annorum priorum. Homines itinera facienda amantes agere et peregrinari quam solum scribere de eis malle videntur.




Corduba: Monumentum Senecae philosophi

Etiam itineribus minime faventes nobis scripserunt, sed – ut Orestes Carbonero recte dixit - 'audiatur et altera pars'. Nonnulla tamen de illa epistula 28 ad Lucilium L. Annaei Senecae philosophi saepe commemorata: Itinera facienda non omnino damnare Seneca mihi videtur. Tantum dicit itinera non apta esse ad animum curandum vel tristitiam animi discutiendam. Tum autem pergit: "At cum istuc exemeris malum, omnis mutatio loci iucunda fiet; in ultimas expellaris terras licebit,

in quolibet barbariae angulo conloceris, hospitalis tibi illa qualiscumque sedes erit. Magis quis veneris quam quo interest, et ideo nulli loco addicere debemus animum. Cum hac persuasione vivendum est: Non sum uni angulo natus, patria mea totus mundus est" (ep. 28, 4).

Quo modo autem Herodotus, ille celeberrimus scriptor Graecus, sua opera componere potuisset, nisi per multas terras itinera faciens et cum hominibus ibi viventibus colloquens animo intento et nova cognoscendi cupido omnia exquisivisset?



Granada: Alhambra et Sierra Nevada mons (in posteriore parte)

Sed quae ipse expertus sim, dicam: Ante decem fere annos quattuor hebdomades Granadae (prope antiquam urbem Illiberrim) in Vandalicia (Andalucía) sitae degi ad linguam Hispanicam descendam. Artificia mirabilissima velut illam domum regiam Arabicam 'Alhambra' atque urbem veterem nomine 'Albaicín' vidi, cum hominibus amabilissimis conveni et noctibus aestivis per vias ambulabam vel cum sociis sub love in areis vel hortis ante cauponas sedebam illud vinum dulce pomis mixtum, quod Hispani 'Sangría' appellant, sorbens; illa declivia nomine 'Alpujarras' in regione meridiana lugi Nivalis montis (Sierra Nevada) sita visitabam, prope Almuñécar urbem ad litus maris fui; Cordubae (in patria Senecae

philosophi!) miram aedem sacram Arabicam 'Mezquita' miratus sum. Quae omnia fieri non potuissent, si semper domi sedissem! Si memoriam illius temporis repeto, eas quattuor hebdomades in diebus felicissimis meae adhuc vitae numero.

Sed quomodocumque res se habeat, sententiarum quoque varietas delectat!

Praeterea in hoc libello novam relationem discipulorum Duedingensium, qui antea iam iucundas nobis miserunt symbolas, legere poteritis. Nunc etiam triclinium construxerunt!

Multa alia et varia invenietis, scilicet aenigma novum, quo recte soluto praemia accipi poterunt.

Sit vobis annus novus – non primus millennii tertii sed secundi millennii ultimus – faustus felix fortunatus!

Valete!

Daniel Weissmann

### **Vita nostra itineris similis est**

Nuper in anthologia quadam fabulam legi, quam vobis narratura sum:

Viator quidam per montes iter faciebat, cum saxum ingens in via situm aspexit. "Heu", inquit, "me miserum, saxum hoc avertere non potero. Hercules enim non sum!" Paulo post alius vir accessit. "Validior", inquit, "te sum. Saxum tergo meo facile removebo." Sed quamquam maximam vim rei adhibuit, saxum remove non potuit. Prima nocte magnus metus amborum animos invasit. Tristes in via sedebant, cum alii viatores advennerunt. Qui "Ne spem amiseritis", aiunt, "vires nostras iungamus! Fortasse perficimus, quod quisque solus facere non potuit." Et omnes accedentes saxo ingenti vi incubuerunt. Saxo remoto iter pergere potuerunt.

Cari legentes, ne putaveritis fabulam hanc inanem esse! Viatores enim homines sunt, iter est vita, saxa in via posita sunt res adversae, quas tantum communiter superare possumus.

Barbara Maier

## De serico, unde et qualiter prodeat

Omnibus temporibus nota est bitumine stillante in solo vel effluvis vaporis naturalis, ignibus aeternis ab Herodoto descriptis. Antiquitus, dum gentes utebantur bitumine ad navium rimas explendas, ad carrorum suorum axes adipe perungendos, et ad habitationes suas conglutinandas contra humorem, in Sinis iam canales arundinei ad domos calficiendas illustrandasque et ad furnos fornacesque alendos vaporem transducebant. Neque a Gutenberg inventa est impressio typographica. Inter annos MXLI et MXLVIII Bi Sheng, artifex Sinensis, ad textus imprimendos in charta signis figulinis, mobilibus, usus est et anno MCDIII° in officina typographica in Corea signa cuprina iam in usu erant. Scimus etiam chartam a Ts'ai-Lun, ministro operum publicorum principis Ho-Ti, inventam esse.

Muslimi, postquam anno DCCLI° in monte Talas, in campis incultis regionis Turkestan, cum exercitibus Sinensibus contenderunt, chartam in Europam introduxerunt; nempe post illam victoriam captivos Sinenses in urbem Samarkand duxerunt. Inter eos erant artifices eius artis periti, quam soli Seres abhinc decem saecula noverant: Ars chartae fabricandae. Idem de acupunctura, quam Iesuites anno millesimo sescentesimo in mundum Occidentalem intulerunt. Quo tempore acupunctura inventa sit, nescimus. Haec tamen: Primus liber notus de acupunctura, qui inscribitur *Huang Ti Nei Ching Su Wen* (i.e. quaestiones praecipuas principis Sinensis Huang Ti de legibus internis vitae), secundo saeculo a. Chr.n. confectus est.

Saeculo XVI°, dum stirps Ming nuncupata regnebat, fictilarii Sinenses superabant Europaeos in delicatis vasis conficiendis. Conchae cypraeae ab Italis 'porcellana' vocatae propter nitidum aspectum adhibebantur ad exquisita vascula conficienda. Qua de causa fictilia Sinensia, quae tunc temporis idem aspectum nitidum habebant ac cypraeae conchae etiam ab Italis 'porcellana' appellabantur, nomen quod nonnulli Europaei in suas linguas postea introduxerunt.

Et quid de pulvere nigro? Circa annum MCCXLIII Arabes in Europam formulam pulveris nigri introduxerunt, quae quoque a Seribus inventa est. Anno MXLIV° Wu Ching Tsao Yao chemicus pulveris rationem quandam edidit. Ad quem finem eo pulvere usi sint, nescimus. Putamus illos ad ignes artificiosos eum adhibuisse. Frater Franciscanus, Roger Bacon, qui

linguam Arabicam legere solebat, primam formulam Europaeam pulveris nigri conscripsit: Septem partes nitri, quinque carbonis et quinque sulfuris. Ars militaris hac inventionem magnopere permutata est. Ad hostes perterrendos primum adhibitus est pulvis sulfureus. Deinde monachus Germanus, Bertholdus Schwarz, pulvere ad res propellendas usus est. Inde fistula bellica orta est.

In Sinis conficiebantur serica, quorum Europaei erant avidissimi. Iam antiquitus Romani auctores mentionem fecerunt Sericae Regionis, a serico vocata. Diu tamen natura serici obscura mansit. Itaque saeculo XII° Gervasius Tilleberensis descriptionem de natura bombycis ad Ottonem Imperatorem misit: 'Est enim a sui principio quasi semen sinapis minutissimum, cumque tempus advenit, panniculo inclusum coactum illud semen in sinu dominarum ac virginum tenetur: beneficio caloris vivificatum foliis mori supponitur, et super tabulam vermiculi extensi, nutrimento foliorum mori, in brevi crescunt ad grossorum vermium quantitatem. Quid plura, cum tempus operandi advenerit, globo serico, continuantes ieiunium, sericum ex se conficiunt, et post pauca tempora adinstar papilionum alati, in aeris libertatem iam recipiendi, globum penetrant, quam fecerunt, et dum avolare parant, compressis masculi feminis miscentur, qui tamdiu caudatim copulati in suae libidinis aestu sine omni cibo vivunt, donec expirent, et sic femina semen exserit cum morte. Proiectis ergo parentum bustis, grana generationis colliguntur et in thecis reposita in vere eo, quo praemisimus, ordine vivificantur. Color autem serici natus croceus est, et cum decoquitur, albissimum recipit candorem, facile cuiusvis coloris susceptibilem per adoptionem.'

Rettulit Stella Gitta

## Iter facere animum sanare non potest

Piratis a Gn. Pompeio devictis itinera maritima Romanos valde delectant. Mare Hadriaticum ventis secundis uno die transiri potest. Viatores a Sicilia usque ad urbem Alexandriam diebus sex perveniunt. Magnus numerus viatorum visendi causa in Graeciam, Aegyptum, Asiam iter faciunt. Alii ad aquas Baiarum et Puteolorum proficiscuntur. Plutarchus de hominibus genio indulgentibus narrat, qui maximam vitae partem in cauponis navi

busque peragunt (Moralia 604 A).

Seneca philosophus itinera parvi aestimat. Cum iter facit, quam commodissime procedit. In viis legit et scribit. Numquam sine pugillaribus est. Libenter nos de rebus molestis in itinere acceptis certiores facit, velut de navigatione facta ab urbe Neapoli usque Puteolos. Initio itineris caelum iam dubium et inpendens erat. "Nondum erat tempestas, sed iam inclinatio maris ac subinde crebrior fluctus" (ep. ad Lucilium 53, 2). Seneca nausea vexatur. Tum gubernatorem cogit, ut celerrime litus petat. "Cuius ut viciniam attigimus...mitto me in mare" (ep. 53, 3). Seneca enim nator optimus est. Neapolim rediens prudenter iter terrestre facit. Sed duo incommoda perferre necesse est: "Eadem via eodem die et luto et pulvere laboravimus" (ep. 57, 1). Baias, quae apud homines lautos multum valent, contemnit, nam "deversorium vitiörum esse coeperunt" (ep. 51, 2).

In epistula 28, 1-5 Seneca affirmat peregrinationem longam Lucilio amico nihil prodesse, nam mentem eius tristitia gravitateque vexari. Amicum adhortatur, ut anim mutet. "Quaeris, quare fuga ista te non adiuvet? Tecum fugis. Onus animi deponendum est: non ante tibi ullus locus placebit" (ep. 28, 2).

Lucilius humili loco natus diligentia constantiaque ad rem publicam accessit. Siciliae procurator ordine equestri factus est. Magno ingenio praeditus carmina redigit et philosophiae se dat. Tamen condicione vivendi contentus non est. Frustra conatur itinera in alienas terras faciens tristitiam animi discutere. Seneca non modo amicum, sed etiam omnes legentes adit affirmans motum continuum peregrinationis iactationem esse. Monet nos, ut mala nostra depellamus. Cum vitia nostra exemerimus, omnis mutatio loci iucunda fiet. Remedium malorum vero doctrina Stoica est, qua tranquillitatem animi attingimus. Seneca, qui octo annos exsul patriae in insula Corsica vitam agebat, dicit omnem sedem etiam in angulo barbariae conlocatum homini onere animi liberato hospitem esse videri.

Barbara Maier



## Carmen terras longinquas invisendi cupidi

I

Taedet domi me sedere,  
absint cum amiculi,  
nolo semper hic manere,  
alienis nam favere  
mos est viri lepidi.

Tesseras<sup>1</sup> cras comparabo,  
quibus in Americam  
aëroplano<sup>2</sup> volabo.  
Exspectate, mox narrabo  
multa ego etiam!

Nam qui semper gloriantur  
longis itineribus,  
ore clauso admirantur  
neque ipsi adorantur.  
Mox exhibo finibus!

Silvas densas perscrutabor,  
vivam cum indigenis,  
feras bestias venabor,  
non in domibus versabor,  
vero in tentoriis.

II

Trans Oceanum volavi,  
in America nunc sum.  
Pittam<sup>3</sup> sapidam cenavi  
atque vischium<sup>4</sup> potavi.  
Num hoc est miraculum?

Mente Alpium catenam  
splendidarum video

et pastorum cantilenam  
noctem mihi per serenam  
insonantem audio.

Heus, me exulem versantem,  
procul nam a patria  
sortem diram deplorantem,  
quamvis ipsum mi parantem!  
Febri flagro horrida.

Tesseras cras comparabo,  
sumam aëroplanum,  
quo in patriam volabo.  
Etsi nihil tunc narrabo,  
felix denuo iam sum.

Martin Meier

- |                   |                            |
|-------------------|----------------------------|
| 1 tessera,-ae f   | Fahrkarte, Billett, Ticket |
| 2 aëroplanum,-i n | Flugzeug                   |
| 3 pitta,-ae f     | Pizza                      |
| 4 vischium,-i n   | Whisky                     |

### Nusquam est, qui ubique esse velit

Tantum abest, ut Italicam gentem ceteris populis existimatione antepo-  
nam, ut contra de humani generis unitate ac naturali aequilitate nullo  
modo dubitem.

Ast idcirco transmarinas vel transmontanas visere regiones praetermitto,  
quod eadem ubique vitia virtutesque reperiri pro certo habeo, etsi aliae  
alibi victus consuetudines adhibentur.

Cum igitur hominis natura nec locorum varietatibus nec temporum de-  
cursu radicitus mutetur, cumque arbores, prata, flumina, saxa ceteraque  
elementa consimili aspectu apud omnes nationes contemplantium oculis  
offerantur, quid causae est, cur capite peregrinando periclititer?

Id vero serenam animo meo confidentiam inicit, quod eadem atque

complures Latini Italicique poetae de hoc argumento sentire videor.  
Inter quos principem merito obtinet locum<sup>1</sup> Tibullus, qui longinquas na-  
vigaciones ea praecipua de causa oderat vitabatque, quod pericula in-  
trepidis viris suscipienda atque obeunda anxiferas dilectis puellis allatura  
esse curas haud ignorabat: neque istiusmodi fuisse opus peregrinationi-  
bus aurea illa, quam omnes restitui desiderabant, aetate fabulosa:

Quam bene Saturno vivebant rege, priusquam  
tellus in longas est patefacata vias!

(I, 3, 35-36)

Horatius vero, in epistula amico Bullatio dicata, itinera ad tranquillitatem  
animi comparandam ullo modo prodesse praecise negavit:

caelum, non animum, mutant qui trans mare currunt

(I, 11, 27)

Eodem vero operis sui loco celeberrimas Graecorum urbes atque insulas  
minoris facere Venusinus non dubitavit, quam temporibus illis ab eruditiss  
et ab ineruditiss existimabantur:

Incolumi Rhodos et Mytilene pulchra facit, quod  
paenula solstitio, campestre nivalibus auris,  
per brumam Tiberis, Sextili mense caminus.

(ibid. 16-18)

Cum Horatio Seneca philosophus plane consensisse videtur, qui, ad Luci-  
lium scribens, Socratis auctoritate usus atque exemplo, minime mirandum  
esse ait, quod longis peregrinationibus tristitia non discutiatur: "Animum  
debes mutare, non caelum" (ad Luc. III, 28).

Eadem, ut patet, quae apud Horatium, verba sententiali tenore hic con-  
traponuntur.

Nec vero, ut ad Italicos transeamus poetas, Franciscus Petrarca silentio  
praetereundus est, cui, Ventosum montum in Narbonensi Gallia situm  
laboriose ascendenti, ut ipse in epistula ad Dionysium de Burgo Sancti  
Sepulcri Latine exarata pereleganter narravit (Rerum familiarum IV, 1),  
Augustini libri illius in mentem subito venit, qui 'Confessiones' inscribitur,  
quo impraemeditata mentis incitatione aperto, in paginam significationis  
plenam fortuna incidit: "Et eunt homines admirari alta montium, et in-  
gentes fluctus maris, et latissimos lapsos fluminum, et Oceani ambitum,

et giros siderum, et relinquunt se ipsos" (Conf. X, 8).

Mentionem de Ludovico quoque Ariosto hic facere placet, eximio Horatii laudatore atque imitatore, saturarum et ipso scriptore, qui in tertio huiusce generis sermone Italicis hendecasyllabis composito, homines peregrinandi cupidos comiter hortatus est, ut Anglorum, Hungarorum, Francogallorum, Hispanorum terras, prout quisque mallet, negotiosi viserent, sese addens Ferrariensi domicilio suo contentum vivere perrecturum.

Ergo mihi suscensere nemini licere arbitror, si, antiquarum etsi memoriarum litterarumque curiosissimus, in geographicis tantum tabulis, alacrioris imaginationis auxilio, itinera facere consuevi.

Orestes Carbonero

1 Digni re vera sunt inter Graecos qui commemorantur Menander ille, qui tenero Glycerae amore devinctus, liberalem honorificamque Ptolemaei Salvatoris invitationem respuit, nec non Plutarchus, vir doctissimus, qui Chaeroneam, parvam Boeotiae urbem, quam rarissime relinquere volebat, ne, ut eleganter facetus dicitabat, absente ipso desertior fieret atque obscurior.

## De Palusterio insula utopica

"Heus, pueri, feriis proximis in Palusterium proficiscemur."

"Ubinam terrarum, pater, istud Palusterium situm est? Iuvatne illuc itinerari? Saevasne bestias observabimus an pigri litori harenoso infixi circumiacebimus?"

"Nullo modo pigri circumiacebimus. Palusterium insula est. In Oceano Pacifico sita est, inter Australiam et Americam Meridianam. Circiter centum quinquaginta chiliometra longa et triginta chiliometra lata est. Quinquaginta milia incolarum continet. Urbs principalis Parthenopolis nominatur in honorem sanctae Mariae virginis."

"Desine loqui sicut lexicon geographicum, pater! Quales sunt homines in ista insula? Utrum nigritae sunt an pelles rubrae?"

"Sunt homines omnium fere specierum humanarum. Non autem indigenae sunt, sed ex omnibus orbis terrarum partibus bello mundano

secundo confecto confluerunt, quod civitatem pacificam condere in animo habebant. Palusterium antea a nullis hominibus habitabatur."

"O pater, plura narres oportet, quaeso! Quo modo illi homines vivunt? Eisne contigit civitatem pacificam condere? Civitatem plane pacificam imaginari non possumus. Semper et ubique sunt homines, qui pacem laedunt et perturbant."

Palusteriensibus vero contigit, pueri, nam omnes fide firma Christiana excelebant et excellunt. Non sibi vivunt, sed sororibus fratribusque suis omnibus. Sorores et fratres autem eos ducunt, quicumque in mundo vivunt."

"Ineptias narras, pater! Quo modo frater meus esse potest, qui me odit mihi que nocet?"

"Palusterienses homines omnes a Deo patre creatos esse dicunt. Itaque eos omnes invicem cognatos esse. Se invicem ut fratres sororesque tractant. Non mentiuntur, non fraudant, non furantur, non interficiunt, non moechantur, non..."

"Homines ergo taedii pleni sunt. Taedet nos in insulam istam tam probam iter facere. Peccata sunt vitae condimenta!"

"Hoc non iam dices, si in te ipsum peccatum factum erit. Num decipi vel interfici vel cruciari amas?"

"Non amo, sed si cautior sum fure vel interfectore, nil mali me tangit. Attamen de Palusterio narrare perge, quaeso!"

"Palusterienses non homines tantum amant, sed bestias plantasque quoque. Octogenas centesimas insulae sub tutela civitati posuerunt. In his regionibus hominibus vivere non licet. Neque venatoribus neque lignatoribus penetrare licet. Bestiae et plantae ibi omnino libere crescunt et vivunt. Etiam in reliqua insulae parte natura rerum bene protegitur. Energiam Palusterienses non ex oleo sumunt neque e vi nucleari neque e carbone, sed tantum e sole. Magna electricina<sup>1</sup> solaris totam energiam profert. Autocineta Palusteriensium non benzina propelluntur, sed motris<sup>2</sup> electricis. Fluentiductus<sup>3</sup> autem non videntur, sed subterranei sunt, ne aspectus terrae foedetur."

"Ah, nunc Palusterium mihi magis placet, pater. Palusterienses ergo 'prasini' esse videntur."

"Prasini sunt, sed sui generis. Nam omnem vitam tutantur, non bestias

plantasque tantum. Severe apud eos abortus infantium nondum natorum atque euthanasia, quae dicitur, senum vetatur. Quod omnem vitam a Deo creatam esse et e Deo prodiisse putant, cuius vitam demere nefas esse arbitrantur. Homo adultus eis non maioris momenti est quam infans nondum natus vel senex morti proximus."

"Palusterienses ex omnibus mundi partibus confluisse narravisti, pater. Qua ergo lingua utuntur?"

"Ridebitis, pueri: Latine loquuntur."

"Latine? Delirant, isti Palusterienses! Hodierni hominis mos est Anglice loqui, non Latine. Ista lingua Romanorum antiquorum nimis difficilis est."

"Non difficilior est ceteris linguis. Vos autem eam nimis difficilem esse putatis, quod in schola numquam Latine loquebamini, sed tantum textus perdifficiles e Latino in Theodiscum vertebatis. De Caesare eiusque bellis perpetuis, de Cicerone eiusque orationibus sententiisve philosophicis, de Ovidii amoribus, de Vergilii pascuis audiebatis, sed numquam disciebatis, quo modo pedifollis<sup>4</sup> vel ordinatum<sup>5</sup> Latine dicantur. Vos taedio linguae Latinae affectos esse non miror. Lingua, qua homines non loquuntur, non vera lingua est. Sed inde ab aetate Romanorum antiquorum homines Latine loqui numquam desinebant. Multi autem professores philologi classici, qui dicuntur, Latinitatem extraclassicam spernunt. Sic plerique discipuli linguam Latinam vivam numquam cognoscunt."

"O pater, si magister linguae Latinae noster te audiret, irascereetur. Linguam Latinam enim quasi deam colit. Si quod verbum extraclassicum alicubi aspicit, furiae similis in auctorem saevit. Si quem de ordinatis vel de herbisectis<sup>6</sup> vel de electricinis loquentem audiret, misero illi caput detraheret."

"Palusterienses non ita sentiunt. Cottidie Latine loquuntur. Ex tot enim terris totque regionibus linguisticis confluerant, ut linguam Latinam a nullo eorum antea usitatam linguam communem eligerent. Liberi eorum, qui in Palusterium immigraverunt, hodie a prima infantia Latine discunt et Latine loquuntur."

"Nobis talis res horrore esset, nam nos linguam Latinam non deam, sed monstrum ducimus, monstrum dico, quod multis brachiis nos amplectitur et ita in errorem trahit, ut notas malas accipiamus. Magister noster maxime gaudet, cum examen difficillimum nobis apponit. Itaque nemo

nostrum linguam Latinam amat."

"Heu vos miseros! Utinam in Palusterio viveretis! Tunc linguam Latinam neque deam neque monstrum cerneretis, sed linguam quamlibet."

"Mox in Palusterio erimus, pater, si promissis tuis steteris. Perge igitur nobis dicere, qualis sit vita cottidiana Palusteriensium. Estne Parthenopolis magna urbs? Quot vici, quot oppida, quot urbes sunt in illa insula?"

"Urbes praeter Parthenopolim non sunt. Etiam ipsa Parthenopolis non magna urbs est. Circiter viginti quinque milia incolarum continet, id est dimidiam omnium Palusteriensium. Praeter Parthenopolim sunt oppida et vici nomina partim nova inventa, partim antiqua gerentes. Exempli gratia exstant Misenum, Tauris, Harenosa, Frugifera, Confluentes, Limonetum, Tibur, Aquae Salubres. Maiora flumina sunt duo, Phasis enim et Rubico, Lacus Avernus media in insula situs est. Montes Horribiles, qui dicuntur, in regio non accessibili sunt. Ibi praeter bestias feras tropicas iam diu notas etiam lacertam ingentem, dinosaurorum speciem quandam, vivere ferunt."

"Num haec fabula credenda est? Versimiliter ista belua nil aliud est nisi phantasma sicut monstrum illud celeberrimum Caledonicum vel letius homullus nivalis. Utrumque nemo umquam vidit."

"Erratis, pueri. Lacerta illa Palusteriensis iam compluries ab hominibus scientificis photographata est."

"Redeamus ad homines. Quale regimen Palusterienses sibi imposuerunt? Utrum democratice gubernantur an monarchum tolerare coguntur?"

"Civitas homo princeps est rex sive regina. Qui (vel quae) a Palusteriensibus suffragiis liberis creatur. Rex regnat, donec morte consumatur vel regno se abdicat. Non modo civitati toti praeest, sed etiam regimini. Administratos potest dimittere. Parlamentum, quod vocatur legatio populi, administratos rege proponente in magistratum vocat. Regis etiam est de bello indicando statuere. Praeest exercitui. Parlamentum leges fert. Quinquaginta membra habet. A populo in quattuor annos creatur. Populo licet de constitutione mutanda suffragia habere atque de legibus novandis, si mille cives suffragia postulaverunt. Sed etiam ipsi novas leges proponere et suffragiis submittere populo licet. Mutatio constitutionis et novae leges validae fient, si populus consenserit, rex subscripserit, episcopus Parthenopolitanus nil obstare dixerit."



"Quid ais, pater? Episcopusne res politicas tractat? Iterum Palusterienses delirare pro certo habeo. Ecclesia ne civitatem tangat!"

Palusterienses, quos omnes Christianos et vere catholicos esse ne obliviscamini, pueri, alias leges humanas, alias divinas esse nolunt. Sic episcopo suo mandatum imposuerunt, ut unamquamque legem et unumquemque constitutionis articulum probaret, utrum congrueret cum lege divina an non. Sed adhuc episcopo numquam 'Veto!' dicendum erat, cum legatio populi ipsa numquam leges nefarias decerneret."

"Sunte pulchrae mulieres puellaeque Palusterienses?"

"Furcifer, quales cogitationes tibi sunt in mente? Mulieres Palusterienses non externa tantum pulchritudine splendent, sed interna praecipue. Cariores sunt, quam ut se libidini tantum dedant. Puella Palusteriensis se viro dedet, nisi cum eo matrimonio iuncta erit. Nam amorem corporalem ab amore pleno non separandum esse censet. Corpus sine anima non dat. Viro fida manet, donec morte ab eo separetur. Viri autem mulieres maximi aestimant neque tangunt, priusquam in ecclesia ante Dei faciem fidem sempiternam promittant."

"Miror valde, pater. In nostris commentariis periodicis iuvenibus destinatis de fide et de matrimonio numquam lego. Ibi impossibile esse libidinem retinere et matrimonio servare scribunt. Homines, qui quinto decimo aetatis suae anno peracto non coierint, aegrotos esse affirmant. Palusterienses autem, etsi gaudiis rapidis privantur, tamen felices esse censeo, quod doloribus deceptionis non premuntur. Praeterea syndrome immunitatis defectus acquisiti<sup>7</sup> eis timenda non est, quod, cum promiscuitatem non exercent, virus istum morbum letiferum portans eis nocere non potest."

"Recte iudicas, mi filii. Palusterienses patientiam adhibere didicerunt. Quo magis gaudiis amoris fruuntur, si abs timore absque mala scientia veniunt."

"Bene, pater, quid ergo nos impedit, quin in Palustrium nos conferamus?"


"Nil, pueri, nisi tempus. Si feriae aestivae aderunt, proficiscemur. Gaudeo iam in antecessum!"

Martin Meier

Nonnulla vocabula:

- |   |              |
|---|--------------|
| 1 electrificina,-ae f                     | Kraftwerk    |
| 2 motrum,-i n                             | Motor        |
| 3 fluentiductus,-us m                     | Stromleitung |
| 4 pedifollis,-is m                        | Fussball     |
| 5 ordinatum,-i n                          | Computer     |
| 6 herbisectrum,-i n                       | Rasenmäher   |
| 7 Syndrome immunitatis defectus acquisiti |              |


### NE AD INCITA REDEGERIS !




Sententiam labyrinthicam vobis proposuit Stella GITTA

# HABEMUS

# TRICLINIUM



## Classis Latinae Duedingensis triclinium construxit!



Initio erat idea paene insana magistri nostri: Construamus triclinium! Tum opera secuta sunt: Vere anno MCMXCIX<sup>o</sup> parentes discipulorum classis secundae Latinae Duedingensis Augustam Rauricam vecti sunt ibique domum Romanam visitaverunt, imprimis triclinium!




Tum dominus Aloisius Kaeser, pater discipuli Reto, constructionis modum invenit, deinde machina computatrice formam triclinii delineavit et indicem materiae confecit.


Ecce nonnulla exempla descriptionis delineatae:

Dudingingen 26 März 1939

SCHNITT - ANSICHT B



ANSICHT A




Imago supra: Frons

Imago infra: Forma (ichnographia)



Dudingingen 26 März 1939

GRUNDRISS



Descriptio elementorum singulorum:


ELEMENTPLAN






Postquam senatus vici 1500 francos Helveticos donavit, constructio triclinii incepta est. Domus lignaria Bruno Jendly lignum secavit et bono pretio vendidit, laborem in rationes non rettulit.

Die Saturni, vicesimo septimo mensis Iunii, incepimus quarta hora: Dominus Kaeser, descriptor et delineator, una cum domino Frederico Brandt, magister lignarius et avunculus Benjaminis, plurimum operis fecerunt. Reto et Benjamin adiuverunt.




Initio tempus longum intercedit, donec primae formae apparebant.



In horas forma triclinii clarior facta est.




Prope finem constructionis parietes colore albo pinctae sunt. Sub oculis severis Fabionis Nicole, Sabina et Reto laboraverunt.




Duodecima hora postremo pars lignea operis perfecta erat. Bruno Hayoz post duos dies venit et apportavit tabulas calcis, quarum tribus sedilibus usi sumus et quarta, rotunda, tabula mensae.



Interea Coelestin Kilchoer, magister sculptoris artis, maxima cum diligentia sententiam Senecae philosophi 'Non scholae, sed vitae discimus' tabulae rotundae inscripsit.



Nunc pulchritudinem tabulae admirari possumus. Media in tabula fortuita naturae nobis cochleam in lapidem mutatam dono dat.




Kuno Philippona nobis pedem mensae donavit. Est lignum durissimum ex silvis tropicanis.

Claudia Bertschy linteis involucra suit et Magnus Moser ea liquoribus purpureis imbuat.

Domus Deillon in urbe nomine Tafers tormenta altitudine 6 centimetrorum perfecit.

### Nunc intellegitis...



...cur iuuet linguam Latinam discere! Convivium adhuc nondum ordinavimus, sed...

Discipulae et discipuli secundae classis Latinae Duedingensis et eorum magister linguae Latinae Magnus Moser

### Fabula de aede Domini cathedrali exstructa

Certe urbs Colonia Agrippinensis plerisque inter vos, cari legentes, bene nota est. Haud ignoratis urbem illam primo p.Chr.n. saeculo a Romanis conditam esse. Scitis quoque antiquam Romanorum coloniam aetate, quae vocatur media, aede Domini cathedrali ornatam esse. Fortasse ecclesiam illam iam visistis. Est enim aedes singulari opere artificioque perfecta. De ecclesia ea, quae per trecentos annos imperfecta relicta est, fabula haec erit: Iam multa templa Coloniae aedificata erant. Itaque diabolus ira commotus incolas urbis ab ecclesia nova exstruenda avertere conatus est. Quodam die in hominem mutatus ecclesiae architectum adit: "Quid hic exstruis?"

"Ecclesiam in Dei honorem aedificaturus sum, quae omnia urbis templa altitudine praecedet."

"Opus id vero difficile est. Equidem opus difficilius incipiam. Aquae ductum ad usum hominum aedificabo. Opere meo non solum aqua pura, sed etiam Mosellae vinum apportabitur. Sane utilius erit ecclesia tua."

"Id credere non possum."

"Erras, optime. Haec contra te contendo opus meum prius confici posse ecclesia tua."

"Id fieri non potest..."

"Sponsionem faciamus: Opere tuo prius confecto rem meam abiciam. Sin autem opus meum prius confectum erit, non iam manus operi tuo adhibebis."

Verba diaboli architecto probantur. Et diabolus et architectus laborem statim obeunt. Ecclesiae constructio in diem altitudine crescit. Iam ad turrim perventum est. Architectus opere progressu contentus e turri non iam confecto oculos omnibus, quae sub adspectum veniunt, pascit. Tum magno animi motu perturbabatur. Vidit enim canalem diaboli confectum. Usque ad ecclesiam pervenerat et aquae magno strepitu affluebant. Architectus omni spe deceptus mortem appetens de turri se praecipitavit. Multis annis post opere diaboli temporibus deleta incolae ecclesiam magnam conficere potuerunt. Mihi fidem habete, cari legentes! Strepitus aquarum, quae sub ecclesia fluunt, semper aures vestra capere potest.

Barbara Maier

# Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA **IDIBVS MAIIS** EST! SOLVTIONES IN VNO LIBELLORVM SEQVENTIVM DEMONSTRABIMVS.

PRAEMIA SVNT:      primum praemium                      LIBER  
    secundum et tertium praemium              LIBELLVS

	2	3	4		5	6	7	8	9
10					11				
12									
13							14	15	
16							17		
18			19	20	21	22		23	
24									
			25					26	
27	28							29	
30						31		32	
33									

## ad libram

- 1 qui arcu tela mittit (Dat.)
- 10 deus Graecus
- 11 feriens
- 12 stupeant
- 13 equus alatus (Gen.)
- 14 contrarium rationis (Abl.)
- 16 vado
- 17 opera apium
- 18 mollem vel dulcem (Acc.sg.f.)
- 23 trade!
- 24 dicta minacia ederet
- 25 ita se nominari Ulixes Polyphemo dixit
- 26 coniux eius (breviter)
- 27 Charon unus ex illis est
- 29 dimidia pars paris nuptialis
- 30 bene olens ad corpus curandum adhibetur (Abl.)
- 32 imperator Romanus (breviter)
- 33 ad populum nomadum inter Vistulam et Tanaim flumina vitam agentem pertinens (Acc. pl.m.)

## ad perpendiculum

- 1 aeternus
- 2 signum quoddam orbis signiferi (Acc.)
- 3 qui illud monstrum aspexit, in lapidem mutatus est (Dat.)
- 4 templa cuiusdam deae Aegyptiae
- 5 imperator Romanus (Gen.)
- 6 instrumentum ad suendum aptum (Abl.)
- 7 de.....natura Lucretius poeta scripsit
- 8 praepositio Latina
- 9 basiaries
- 15 separato!
- 19 poeta Romanus (Acc.)
- 20 provincia Romana
- 21 exornant
- 22 pronomen possessivum (Dat.)
- 28 adverbium distributivum Latinum
- 31 pronomen demonstrativum Latinum (Dat.sg.)

Daniel Weissmann

## Proverbia Hispanica

*Más quiero libertad con pobreza que prisión con riqueza.*

Libertatem cum paupertate iunctam magis diligo quam vincula cum divitiis.

\*

*La avaricia es mar sin fondo y sin orillas.*

Avaritia est mare sine fundo et sine litore.

\*

*Cuando el sol sale, para todos sale.*

Ubi sol oritur, omnibus oritur.

\*

*Cuatro cosas ha de procurar tener y sustentar el hombre principal: Buena mujer, buena casa, buen caballo y buenas armas.*

Res quattuor viro praecipuo comparanda, retinenda et sustentanda sunt: Bona mulier, bona casa, bonus equus, bona arma.

\*

*Las armas el diablo las carga.*

Arma diabolus praeparat.

\*\*\*\*\*

*Malo es pecar y diabólico perseverar.*

Malum est peccare et diabolicum perseverare.

\*

*El ignorante es poco tolerante.*

Ignorans paulum tolerans.

\*

*La conciencia es a la vez testigo, fiscal y juez.*

Conscientia est simul testis, accusator, iudex.

\*

*Hombre prevenido vale por dos.*

Homo providus duplus valet.

\*

*El agua como buey, y el vino como rey.*

Aqua ut bos, vinum ut rex.

\*

*Solamente no se sabe lo que no se hace.*

Ea tantum nesciuntur, quae non aguntur.

\*

*La mala cama hace la noche larga.*

Lectus malus noctem longam reddit.

\*

*La mucha abundancia da hastío y náuseas.*

Abundantia magna fastidium et nauseam efficit.

\*\*\*\*\*

*El corazón no miente a ninguno.*

Cor numquam aliquem mendaciis fallit.

\*

*La verdad amarga y la mentira es dulce.*

Amara est veritas et mendacium dulce.

\*



*Quando pases por la tierra de los tuertos, cierra un ojo.*

Terram coditum luscorumve pervadens alterum oculum claude!

\*

*El hombre propone y dios dispone.*

Homo proponit et deus disponit.

\*

*Quando al ruin hacen señor, no hay cuchillo de mayor dolor.*

Ruinam cum dominum faciunt, non est culter maioris doloris.

\*

*En la tierra de los ciegos, el tuerto es rey.*

In terra caecorum codex est rex.

\*

*No hagas trampas en que caigas.*

Ne feceris insidias, in quas ipse incidis!

In Latinum vertit Daniel Weissmann

## Urgentibus satisfaciendum est necessitatibus

Hiemali gelu saeviente, cum rusticus quidam negotiandi causa – quod octavo quoque die facere solebat – in proximam urbem venisset, immiti frigore cruciatus, quo commodius constitutam praestolaretur horam, qua in pagum suum ferrata via remearet, ad cinematographicum theatrum se contulit, non flocci faciens qualem visurus esset ibi taeniolam.

Tam frequens ac densa illuc convenerat spectantium caterva, ut vix unum invenires vacuum subsellium, immo complures iniucunde stare cogentur.

Cum repente evenisset, ut agricola noster mingendi necessitate premeretur, per confertissimos ordines viam sibi ad lavatrinam aperire non va-

luit. Opportune autem accidit, quod lignator obesus, qui inferius con-sederat, largiore indutus erat veste, e cuius lateribus laxi prominebant sinus. Loci obscuritate protectus, mentula clam furtiveque extracta, in illud fortuitum atque extemporale obsceni vasis imitamentum misellus frumentarius copiosum lotium guttatim quam silentissime nescio similis inspersit. Haud longo dein intermisso intervallo, artiore molestioreque correptus est ventris exinaniendi desiderio. Cum ne hac quidem vice ad sterquilinium tempore opportuno pervenire potuisset, stercore erumpente per horae circiter quadrantem herois instar resistentis retento, facere non potuit quin naturae urgenti ad ultimum cederet, infanti puerulo vel seni decrepito simillimus, cui ad secessum via nondum (vel non amplius) cognita perspectaque sit.

Lignator ille vero, qui prioris minctionis victima, ut ita dicam, exstiterat, nimio adeo calore oppressus ut sudor ad imos manaret talos, manum in vestis fundam inseruit sudariolum, ut par est, inde extracturus.

Cum autem dexteram alieno lotio recenti madidam exseruisset, haud facile discerneres utrum magis ira exardesceret an mirabundo stupore percelleretur. Ad eum subito conversus, qui tergora ipsius genibus premebat: "Ei mihi!", inquit, "cui in vestis sinum minxerunt!"

Ast agricola noster, nulla mordente conscientia, nullo genas rubore pingiculas suffusus, adloquenti placide respondit: "Quid vero egomet dicam, cui in bracas cacaverunt?"

Orestes Carbonero

## Ecce solutio aenigmatis libelli 4/99

1	A	U	L	I	S
2	U	L	U	L	A
3	L	U	X	I	T
4	I	L	I	C	I
5	S	A	T	I	S

1. urbs Graeca, qua Graeci Troiam navigaturi irascente Diana dea retenti sunt

2. avis nocturna

3. quid luna, sol, stella, lampas fecit (perfectum!)

4. arbor quaedam (Dat.sg.)

5. suppetens

Daniel Weissmann

# HISTORIA AGATHONIS

A CHRISTOPHORO MARTINO WIELAND (1733-1813) SCRIPTA (I)

a Nicolao Gross Germano Coreanensi in Latinum conversa

Prima pars. Francofurti et Lipsiae a. 1766 edita. Excerpta.

## PRAEFATIO

Editor huius historiae tam improbable esse putat persuaderi posse lectoribus eandem revera excerptam esse e vetere codice Graeco, ut optimum sibi videatur hanc quaestionem omnino non tangere lectorumque arbitrio permittere. Fac revera aliquando fuisse aliquem Agathonem (sicut profecto comoediographus huius nominis, qui eodem fere tempore vixit ac heros historiae nostrae, oportet notus sit amicis scriptorum Platonis:) sed fac quoque de eodem Agathone nihil gravius dici posse nisi quando natus sit, quando mulierem in matrimonium duxerit, quot liberos genuerit, quando et quo morbo mortuus sit: qua re commoveamur, ut eius historiam legamus, etiamsi iuridice comprobatum sit eandem inventam esse in archivis Athenarum antiquarum?

Verum ut sit opus, quale amatoribus hic proponimus, postulari potest et debet *hac ratione, qua* omnia congruant cum cursu vitae humanae, *qua* personae non temere et auctoris consilio et imaginatione effectae sint, sed sumptae e copia naturae ipsius inexhausta; in personis exponendis, *qua* facultas et insita et relativa, qualitas animae humanae, natura cuiusvis cupiditatis, cum omnibus coloribus et varietatibus, quae iisdem fiunt secundum indolem propriam atque circumstantias, quam diligentissime conservatae sint; praeterea *qua* proprietates terrae, loci, temporis, quae historiae insunt, numquam neglegantur; denique, *qua* omnia ita ficta sint, ut nulla causa sufficiens possit afferri, cur non eodem modo fieri potuerint, quo narretur, aut futurum sit, ut fiant. Sola hac ratione veritatis opera huiusmodi fieri possunt utilia, eandemque audet editor historiae lectoribus promittere.

Eidem praecipue id propositum erat, ut varia ratione omnibusque ex partibus lectores certiores faceret de persona quadam digna, quae cognosceretur. Dubium non est, quin nonnullae personae praestantiores sint

quam ea, quam editor elegit. Sed quia idem optavit, ut certo sciret se hominibus non vana figmenta pro veris vendere, elegit eam, quam optime nosse occasio sibi fuerat. Hac de causa editori est persuasissimum Agathonem plerasque ceteras personas historiae suae intextas esse veras, quales antiquitus exstiterint multae ipsaque hac hora adhuc exstant, et (exceptis circumstantiis secundariis, rerum forte factarum effectu et fine speciali et ceteris ornandi causa ultro additis) omnia, quibus haec historia excellat, haud minus esse historica et fortasse aliquanto certiora quam quemvis textum scriptorum fide historica dignissimorum, quos habeamus. Notum est homines in vita sua saepius incidere in res longe minus probabiles, quam tales, quales *Eques de Mouhy* audeat animo effingere. Ergo sane praeproperum est propterea veritatem personae nostri herois in dubium vocare, quod saepius verisimile non est aliquem ita cogitasse aut agitasse quam eundem. Si fieri non potest, ut demonstretur homo sub peculiaribus condicionibus, sub quibus Agathon a primis pueris fuit, sic non cogitare aut agere posse aut saltem non nisi miraculis, spiritibus invisibilibus aut fascinatione supernaturali: auctor putat se iuste expectare creditum iri sibi pro certo affirmanti Agathonem revera sic cogitasse aut agitasse. Bene accidit, ut apud historicos fide dignissimos et iam in ipsis vitis Plutarchi sat multa exempla inveniantur, e quibus eluceat fieri posse, ut aliquis vivat tam ingenue, tam probe, tam continenter, aut, si dicamus verbis Hippiae et classis hominum numerosae, tam mire, tam obstinate, tam inepte quam heros noster nonnullis vitae suae occasionibus. Diversis locis huius operis allatae sunt causae, quibus Agathon non factum esset exemplar viri perfecte probi. Cum mundus abundet libris disciplinae moralis didacticis cuicumque liceat (nec quid facilius sit) animo fingere hominem, qui ab incunabulis usque ad sepulchrum, omnibus in vitae circumstantiis et condicionibus, semper et perfecte ita sentiat, cogitet, agat, ut disciplina ethica praescriptum est. At ut persona Agathonis esset imago hominis, quam multi intellexerent esse imaginem sui ipsorum, idem - hoc pro certo habemus - non potuit probior exponi quam est; si quis de hac re aliter sentit, optamus, ut (si quidem convenit eum esse optimum, cui sunt optimae virtutes, vitia paucissima) nobis dicat quis omnium ratione naturali natorum, similibus in circumstantiis, omnibus rebus respectis, probior fuerit quam Agathon.

Fieri potest, ut aliqui iuvenis improbus, si viderit ipsum Agathonem denique superari lasciviis amoris et Danaes mulieris, hac historia ita utatur,

ut iuvenis ille Chaerea apud Terentium utitur pictura, qua una e lasciviis patris lovis exponebatur: - et ut, si gaudio effusus legerit virum tam eximium cadere potuisse, sibi ipsi dicat: *Ego homuncio hoc non facerem? Ego vero illud faciam et lubens.*

Nec minus fieri potest, ut homo aliqui malevolus aut nefarius disputationem sophistae Hippiae cum legerit, animo effingat eadem disputatione rationem reddi impietatis et vitae suae vitiosae: At omnes homines probi nobis assentientur illum iuvenem improbum et hunc hominem impium tales futuros et mansuros fuisse, etiamsi nulla Agathonis historia esset in mundo.

Hoc exemplo adducimur ad rem, quam putamus infirmis quibusdam hominibus, qui melius volunt quam intellegunt, a nobis explicandam esse, ne quid falso tempore aegre ferant neve iniuste iudicent. Libenter confitemur futurum fuisse, ut nos confidentia, qua credideramus proposita nostra esse proba, quadamtenus involuti non cogitarem talem diligentiam esse necessariam, nisi stupefacti essemus adnotatione, quam nobis insciis, in pagina pag.\* sub textu ponere cuidam amico nostri placuit.

Haec explanatio spectat ad sophistam Hippiam in nostra historia introducendum et ad disputationem, qua sperat se posse Agathonem sanare ex entusiasmo amabili et probo et adducere ad opinionem, quam non sine bona causa putat esse aptiorem ad feliciter vivendum. Homines, qui sanis oculis in directum prospiciunt, sine admonitione nostra e toto contextu operis nostri et e modo, quo omni occasione loquimur de hoc sophista eiusque decretis, perquam clare intellexissent, quantum nos huic viro huiusque doctrinae faveamus; et quamvis neque congruisset cum propria nostra ratione cogitandi neque cum tenore et consilio huius libri scribendi nos vehementi illo cum studio in eum invehere, quo iuvenis magister incitatur, si, ut spe boni salarii inductus se commendat consistorio suo, invehatur in *Tindalios* aut *Bolingbrokios*: tamen speramus nos lectoribus sanis et sinceris nullum reliquisse dubium, quin putarent nos Hippiam habere pro malo viro et periculoso eiusque doctrinam (quatenus eadem discrepat a veris dogmatibus religionis et probitatis) pro sutela conclusionum falsarum, quibus societas humana everteretur, si fieri posset, ut mores maioris partis generis humani eadem inficerentur. Ergo credimus nos securos esse ab omni suspitione huiusmodi. Sed quia inter lectores nostros fortasse sunt homines sinceri, qui id saltim vituperent, quod incauti

fuerimus et sentiant nobis hunc Hippiam fuisse aut nullo modo introducendum aut, si necesse hoc fuerit secundum consilium operis, eius decreta fuisse fuse refutanda: Itaque a nobis videntur causae iis afferendae, quibus primum illud fecimus, cetera autem omisimus.

Cum propositum nobis esset, ut mores nostri herois variis subiceremus examinibus, quibus eius ratio cogitandi et virtus explanarem, eaque, quae in iis exaggerata et non vera erant, paulatim et gradatim secerneremus, eo potius necessarium erat eum huic quoque examini subicere, quia Hippias, ut notum est, revera vixit unaque cum ceteris sophistis eiusdem aetatis multum effecit ad mores Graecorum depravandos. Praeterea idem utilis erat ad herois mores et principia suis propriis contraria eo lucidius illustranda. Cum autem certissimum sit plerosque homines huius mundi ita sentire ut Hippiam aut agitare secundum eius principia; itaque, cum hoc opus scriberemus, ad mores docendos id quoque nobis proposuimus, ut demonstrarem, quid his principiis efficeretur apto loco illustratis. Haec autem sunt causae praecipuae, quibus hunc sophistam (quem non peiorem proposuimus quam revera fuit, et quam eius fratres hodie quoque sunt) historiae Agathonis intexuimus.

Prolixa autem refutatio omnium eorum, quae principiis eius insunt fallacia et periculosa: (nam profecto ille non semper errat) ratione propositi nostri fuisset verum protergon necnon respectu lectorum nobis videbatur supervacanea; cum non solum responsum, quod Agathon ei dat, optima continet, quae contra illa dici possunt; sed etiam toto opere (ut omnis videbit, ubi primum totum conspiciere potuerit) illa refutari cognoscendum sit, Agathon Hippiam refutat fere eodem modo ac Diogenes illum sophistam, qui negaverat esse motionem: Diogenes sophistam sivit blaterare, dum ille voluit; cum sophista finivisset, Diogenes satis sibi habuit coram illo placidissime huc illuc ambulare. Haec autem procul dubio unica fuit refutatio, quam sophista meritus erat.

Secundam autem partem operis, quae non edetur nisi placuerit prima, privarem commodo novitatis simulque lectores voluptate futura, si eiusdem argumentum praemature enuntiarem. Sufficiat dicere heroem nostrum ibi spectatum iri in perturbationibus versantem haud minus miris et oblectabilibus quam in parte priore. In antecessum de eventu rerum nobis nihil dicere licet nisi hoc: Agathonem ultimo in tempore vitae suae quod describitur in parte finali operis nostri, virum fore tam sapientem quam probum et (quod in hac re optimum nobis esse videtur) lectores

nostros intellecturos esse, quomodo et quare idem talis sit; quare fortasse multi ipsorum neque sapientes neque probi sint; denique, quomodo fieri necesse sit, ut ipsi tales fiant.

### **Liber primus. Capitulum primum.**

#### *Initium huius historiae*

**SOL** iam erat occasurus, cum Agathon, qui in silva quadam in via itinere deerraverat, cassis laboribus exitum inveniendi defatigatus advenit radices montis, quem voluit ascendere spe inductus se e culmine eiusdem conspicere posse aliquem vicum, ubi pernoctaret. Itaque corpus suum aegre sursum trahebat per semitam inter dumeta inventam; at montis mediam fere partem assecutus tam vehementer erat lassatus, ut spem deponeret fastigii assequendi, quod quo propius accederet, eo remotius videretur. Ita prorsus exanimatus se substravit arbori parvum aggerem obumbranti, ut ibi maneret per noctem, quae iam imminebat.

Nemo umquam versatus est in rebus magis adversis quam hic iuvenis eo tempore, quo agens a nobis apud lectores introducit. Paucis diebus ante cum felicitate usus concivibus invidiae fuisset, subita mutatione rem familiarem, amicos, patriam perdiderat, ut omnibus casibus fortunae adversae obiectus nesciret, quomodo servaret solam animam sibi relictam. At quamquam tot res adversae in eum coortae erant, ut sane crederes eius animum depressum esse, tamen narrator nobis affirmat, si quis Agathonem eo momento temporis vidisset, neque eius vultu neque gestibus ullum vestigium inventurum fuisse animi desperat! aut impatientis aut vel minime indignantis.

Hoc loco nonnulli fortasse recordantur sapientem Stoicorum, qui olim affirmabatur in Phalaridis tauro ferventissimo minimum tam beatus esse quam orientalis satrapes mollibus brachiis puellae Circassiae circumclusus. Cum autem historia nostra procedente variis exemplis appareat heroem nostrum a sapiente Senecae haud parum discrepare, nos potius putamus eius animam fuisse generis illorum, qui semper pateant voluptati quibusque unus tantum sensus iucundus sufficiat, quin obliviscantur omnem aegritudinem praeteritam et futuram. Silva inter duos montes aperta Agathon procul conspexit solem occidentem. Ipsum hunc conspectum satis habuit, quo res adversas sentire desineret. Maiestate solis occidentis animus eius, qua erat mollitia, tam vehementer inflammatus est, ut diu ne

urgentissimas quidem necessitates recordaretur. Tandem tamen e stupore iucundo, cui per nonnulla minuta temporis erat deditus, excitatus est strepitu fontis, qui haud procul e saxo scaturiebat; surrexit et cava manu hausit de hac aqua crystallo fluido simili, quam animo finxit sibi a nympa benevola ex urceo marmoreo offundi, ut sitim suam expleret; et pro eo, ut desideraret epularum Atheniensium pocula vino Cyprio abundantia, Agathon videbatur se numquam iucundius bibisse. Deinde cum denuo decubisset, fonte leniter murmurante obdormivit et somniavit se repperisse Psychen suam; nulla enim re fieri poterat, ut interdum ederet aliquot gemitus, nisi eadem puella amissa.

(Alia sequentur)

NICOLAUS GROSS  
Germanus Coreanensis

### **Liber 'Ludus I et II' quaeritur!**

Discipulus pristinus linguae Latinae illos libros, quibus olim studuit, titulo

**'Ludus I et II'**

quaerit. Si quis eum adiuvare potest, ad hanc directionem cursualem scribat vel telephonet:

Älterer, ehemaliger Lateinschüler sucht die seinerzeitigen Lateinschulbücher **Ludus I und II**. Wer ihm weiterhelfen kann, wende sich bitte an folgende Adresse:

Joseph Neuhaus  
Bottigenstr. 142  
3018 Bern  
Tel.: 031 / 981 22 78

## *Seminaria «Latinitatis vivae» Helveticum Morsacense*

69. Morsācī [*Morschach*] in Helvetiā, qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum «Quattuor Pagorum» situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebetur. Hōc autem annō seminarium nostrum iterum instituetur in deversorio, cui nomen est «*Hotel Bellevue*» et in quo etiam multae commoditates inveniuntur.

23.7.-29.7.2000

Sunt autem seminaria nostra «*Latinitatis vivae*» prima huius generis, quae inde ab anno 1973° intra Germaniam et extra instituebantur.

Interea vero alibi quoque complura seminaria quaedam offeruntur, ubi praeter alia non paucae acroāsēs qualitatis variae fiunt. Sed in nostris seminariis participes singillatim inducuntur, ut *Latine loquantur*, id quod in scholis vel alibi vix fit. Sententiae autem et locutiones necesse est sint *vere Latinae*. Itaque etiam neologismi, id est verba novata, sint coloris vere Latini, ut et pronuntiatus vere Latinus proponitur et exercetur. Harum rerum problemata suscipiuntur solvenda, cum necessarium sit, ut etiam de condicionibus rebusque temporis nostri bene convenienterque loquamur. Maximi tamen momenti est ipse *usus linguae Latinae* iugiter indesinenterque exercendus.

Si cui quaestiones quaedam de seminario ipso atque de institutione sunt, proponat easdem *moderatoribus*.

Morsacense seminarium Helveticum qui participaturi sunt, mittant epistulas chartulasque interrogatorias nominaque dent definitive, si tardissime duobus mensibus ante initium, ad

Societatem Latinam  
Universität - FR 6.3  
Postfach 151150  
D - 66041 Saarbrücken

## *anno 2000° futura et Belgicum fortasse Geldoniense*

70. Alterum seminarium Latinitatis vivae hoc anno locum verisimiliter iterum habebit Geldoniae [*Geldenaken / Jodoigne*] in Belgica. Ibidem participes excipientur in domo multorum conclavium, quae sunt singulorum lectorum, cui aedificio peramplo (cum viridario vāsto) nomen est «*Château des Cailloux*». - Si autem ex quibusdam causis seminarium Belgicum alio loco instituetur, hoc satis mature indicabimus.

5.8.-12.8.2000

*Themata* autem, quae in seminariis tractantur, sunt et hilaria et seria, et cottidiana et scientifica, et historica et hodierna.

Denique moderator horum seminariorum erit *Dr P. C. Eichenseer*, qui iam ab anno 1973° talia seminaria suscepit prosperrime moderanda, quippe qui esset Latinitatis omnium aetatum vere peritus. Eius cooperatrix, *D.rix Sigrides Albert*, iam ex compluribus annis eos imprimis, qui primum adsunt, sed etiam alios, delectabiliter diligenterque in consuetudinem Latine loquendi inducit et occasionibus specialibus datis cum iis, quorum talia intersunt, textūs Latinos (sed plerumque humanisticos et posthumanisticos) legit, interpretatur atque de iisdem colloquia instituit.

Denique pro ipsa *institutione unius septimanae* 170 marcae Germanicae solvendae sunt, quae pecuniae summa mittatur ad hanc sedem nummariam (pecunia pro pemoctatione et victu in deversorio ipso solvenda est):

VOX LATINA  
18353-661  
Postbank Saarbrücken  
BLZ 590 100 66 (BR Deutschland)

Seminarium Belgicum qui volunt participare ratione epistulari vel telefonica adeant satis mature D.rem Gaium Licoppe Bruxellensem, qui unā cum Francisca Deraedt res praeordinandas huius seminarii benigne suscipit:

M. le Docteur Guy Licoppe  
Avenue de Tervueren, 76  
B - 1040 Bruxelles

**SOCIETAS LATINA**

# FERIAE LATINAE FERIGOLETENSES

31.VII - 7.VIII 2000

FERIAE LATINAE, a Patre SUITBERTO SIEDL, O.C.D, anno 1982, sub auspiciis Operis Fundati "LATINITAS" (in Civitate Vaticana) conditae, duodecies (1987-1998) Nicaeae sunt habitae, et semel (17-24 VIII. 1999) Tarascone, in Abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis. Quod novissimum experimentum participibus plurimis placuisse visum est. Itaque, hoc anno bis millesimo, illae Feriae in eisdem locis iterum celebrabuntur :

a Lunae die 31.VII. 2000, hora 10a  
ad Lunae diem 7.VIII. 2000, hora 15a.

Invitantur non solum professores, docentes et studentes, sed etiam tirones et homines cujuscumque muneris, utpote qui cupiant, cum aliis sodalibus e variis nationibus oriundis, Latine sermocinari, studere, ludere, immo, vivere.


Qui plura scire cupiant, ea rogent a :

Jean Claude CHAMPEAU      vel a  
121, chemin des Moulins supérieur  
F-06510 GATTIERES

Clément DESESSARD  
Résidence des Collines C.9.  
500, rue Léo Brun  
F-06210 MANDELIEU

Tel. 04 93 29 17 02

Tel. 04 93 49 01 91



- Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS VARIVS für mich selber)

\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_

- Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenk-abonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist.)

Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_

Ort, Datum: \_\_\_\_\_

Unterschrift: \_\_\_\_\_

Hier bitte  
frankieren

RVMOR VARIVS  
c/o aeschlimann publicity  
Rosenweg 7  
CH - 8353 Elgg

RVMOR VARIVS  
c/o D. Weissmann  
Tellstrasse 30  
3014 Bern


PP/Journal

4702 Oensingen

5+6/99

IDIBVS DECEMBRIBVS

MCMXCIX



RVMOR VARIVS



TOMVS 22

FASC. 131

Hic solutionem inscribe et chartam mitte!

1	2	3	4	5	6	7	8	9
10								
12								
13								
16								
18								
24								
27								
30								
33								

Nomen emittentis et inscriptio cursualis: